cium produnt. Addidi Incremēta & Decrementa in denis Scrupulis, servitura facilitati excerptionis accuratæ. Tabula est artificiorum spinis obsita, & tactu aspera, fateor: sed hoc est omninò ingenium Hypotheseos, à naturâ lucis suppeditatæ; cui erat obsecundandum ad omnes nutus. Id si quis poterit præstare operâ parciori: laudem is dexteritatis reportato. Nunc ad præcepta

Annuum longitudinis Lunæ Argumentum formare.

PRÆCEPTUM 113. AUFER locum Apogæi Lunæ à loco Solis vero, in Signis, Gradibus, & Scrupulis: nam Secunda negligi possunt. Si subtractio fieri non potest, adscisce ad locum Solis Signa 12. Residuum quod fuerit: siquidem vel plus sit, quàm Gr. 270°, hoc est, Signa 9, vel minus quàm 90°, id est, Signa 3; id ipsum retine: sin autem ex adverso restiterit plus quidem quam 90°, minus verò quàm 270°: tunc ei vel adde vel adime Semicirculum: sic constitutum erit Argumentum Annuum, Quadrantis vel Aucti, à 270° in 360°, vel Minuti, à 0° in 90°.

Pr. fol. 61. *Ut in Genesi* RUDOLPHI; *erat Locus* ☉ Pr. fol. 55. 5°.22′ ♋. *Locus Apogæi Lunæ S.* 1.27°.54′. *Auferhunc à Sig.* 4.5°.22′, *restabit* 2.7.28, *id est* 67°.28′. *Cùm hoc sit minus quàm* 90°: *dico ipsum esse Argumentum annuum; & quidem Quadrantis Minuti, in numeratione.*

Jucundissimum est, & præcipua bonitatis Nota in Hypothesi naturali; omnia hic esse annua, quæ apud Tychonem ejusque antecessores videbantur menstrua; effectu tamen, quod hanc diversitatem attinet, penitus eodem. Quæ animadversio tandem causas naturales detexit.

Menstruum longitudinis Lunæ Argumentum formare.

PRÆCEPTUM 114. ANOMALIAM Eccentri Lunæ suprà communiter ut in omnib. Planetis, investigare didicisti. Hæc sive minor Semicirculo fuerit, sive major; ab ea ipsa [nunquàm verò ab ejus, majoris, complemento ad Circulum, quod diligenter cave] aufer Argumentum annuum Longitudinis, adscito circulo si fuerit opus, ut subtractio fieri possit: ita restabit Argumentum Longitudinis menstruum. *Ut in Genesi* RUDOLPHI *fuit suprà inventa Anomalia Eccentri Lunæ* 35°.37′. Præc. 83. *Hinc auser Argumentum Annuum* 67°.28′. *hoc est, Auser Sig.* 2.7°.28′. *de Sig.* 1.5°.37′, *seu adscitis* 12, *de Sig.* 13.5°.37′: *restant Sig.* 10.28°.9′, *Argumentum menstruum.*

Præceptis 83.84.

Quomodo ex duobus Argumentis Longitudinis Lunæ, formetur Æquationis menstruæ portio competens.

PRÆCEPTUM 115. CUM Argumento annuo excerpe ex Tabula Menstruorum Sc. Logarithmum, & Particulam exsortem, eum suis duobus Titulis, ad quos Annuo patet ingressus, Quadranti diminuto, in calce; Aucto, in fronte. Quòd si jam alterum, puta menstruum Argumentum ex priore semicirculo fuerit, retine horum titulorum priorem; si ex posteriore, posteriorem, abjecto reliquo. Deinde quære Argumentum menstruum per quatuor limbos ejus; cum invento excerpe Logarithmum ex media Tabula, quem subscribes priùs excerpto, & appone titulum limbo superscriptum vel subscriptum, in quo invenisti Menstruum. 1. 2.

Tabb. f. 82. 83. superiùs.

Tertiò fac summam ex duobus Logarithmis excerptis, eamq; remitte in Logarithmorum seriem, ut cum ea excerpas Scrupula & Secunda; quibus & duplicatis & dimidiatis, summa ex duplo & semisse, est illa portio de æquatione Mensis pleni, competens mensi proposito, licet non pleno; si tamen etiam fermentetur, ut proxima docebunt. Priùs enim de nonnullis monendus est calculator. 3.

Primùm Logarithmi, qui ponuntur in Tabula, non sunt accuratissimi, sed repudiata subtilitate, rotundi saltem, quippe tantùm ad Gradus integros: ut facilior esset Additionis labor, quia sic parum peccatur in effectu. *Logarithmi non accurati.*

Qui verò vel accuratioribus vult uti, vel cum Argumentis scrupulosis excerpere, citra molestiam captandæ partis proportionalis; adeat Canonem Logarithmorum Semicirculi: & cum Annuo quidem quærat ibi Antilogarithmos; cum menstruo verò, Logarithmos.

Vicissim, si cum utriusque Logarithmi summâ excerpendum est accuratissimè, cum eâ te confer in Heptacosiadâ, Scrupula excerpens ex Sexagesimariâ.

Deinde, quod ego quæsivi, insertione Logarithmorum in hanc Tabulam; ut scilicet liberarem Calculatorem necessitate adeundi Heptacosiada & Canonem Logg. Semic. hoc idem præstare poterit usus Logistices mediocris. Tunc enim loco duorum Logg. um excerpemus gemina Scrupula menstrua, quæq; per suum Argumentum: eaque in se invicem multiplicabimus logisticè. Hac peracta multiplicatione, supererit, ut priùs, facti duplicatio & dimidiatio, & dupli ad semissem additio. Nam etiā sic prodibit Æquationis hujus pars competens, fermentanda ut suprà. *Logistica hic promptior.*

Huic enim portioni competenti, jam quartò Exsors Particula excerpta, vel addenda est vel subtrahenda, prout titulus ejus, qui in superiori electione mansit illi residuus, jusserit, qui sic erit officio suo perfunctus: itaque erit competens fermentata; sortieturq; titulum, qui suprà cum Menstruo excerptus, adq; Logarithmum adscriptus fuit: scilicet Subtractionis in primo Menstrui semicirculo, Additionis in Secundo, inter 180° & 360°. De horum tamen Titulorum usu non uniformi, pluribus agam in sequentibus. 4.

Sed circa Exsortem una est exceptio, eaque rarissima, nec alicujus momenti, nisi ad cavillandum. si negligatur: si scilicet ea, jubente Titulo, subtrahenda sit à Competente, sit verò major eâ. Tunc n. Competens, ut jam minor, vicissim subtrahitur ab Exsorte, ut majore: & tunc residuum, quod fuerit, quantitatis planè minimæ, capere debet

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2018. Signatur: MNV 596;

107 105 111 101 116 096 156 056 206 006